



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

**Parisiis, 1644**

VII. Ne noui census imponantur ecclesiis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15588**

ANNO CHRISTI  
1179. tentem ei recompensationem faciat expensarum: ut  
hoc saltem timore perterritus, in grauamen alterius  
non facile quis appellat. Præcipue vero \* in locis re-  
ligiosis hoc volumus obseruari, ne monachi, siue  
quicumque religiosi, cum pro aliquo excessu fuer-  
int corrigendi, contra regularem prælati sui, &  
capituli disciplinam appellare præsumant, sed hu-  
militer ac deuote suscipiant, quod pro salute \* sua  
utiliter eius fuerit iniunctum.

VII.

Cum in ecclesiæ corpore omnia debeant ex ca-  
ritate tractari, & quod gratis receptum est, gratis  
impendi; horribile nimis est, quod in quibusdam  
ecclesiis locum venalitas perhibetur habere, ita ut  
pro episcopis vel abbatibus, seu quibuscumque  
personis ecclesiasticis ponendis in sede, seu intro-  
ducendis presbyteris in ecclesiam, nec non pro se-  
pulturis & exequiis mortuorum, & benedictioni-  
bus nubentium, seu aliis sacramentis aliquid exiga-  
tur: & ille qui indiget, non possit ista percipere,  
nisi manum implere curauerit largitoris. Putant  
plures ex hoc sibi licere, quia legem mortis de lon-  
ga inualuisse consuetudine arbitrantur, non satis,  
quia cupiditate cæcati sunt, attendantes, quod tan-  
to grauiora sunt crimina, quanto diutius animam  
infelicem tenuerint alligatam. Ne igitur hoc de-  
cetero fiat, & vel pro personis ecclesiasticis deduc-  
endis ad sedem, vel sacerdotibus instituendis, aut  
mortuis sepeliendis, seu etiam nubentibus benedi-  
cendis, seu etiam aliis sacramentis aliquid exigatur,  
districtius inhibemus. Si quis autem contra hoc

Kkk iij

venire præsumperit, portionem cum Giezi se no-  
uerit habiturum: cuius factum turpis munera ex-  
actione imitatur. Prohibemus insuper, ne noui  
census ab episcopis vel abbatibus, aliisve prælatis  
imponantur ecclesiis, nec veteres augeantur nec  
partem redditum suis vīsibus appropriare præsu-  
mant: sed libertates, quas sibi maiores deside-  
rant conseruari, minoribus quoque suis bona vo-  
luntate conseruent. Si quis autem aliter egerit, irri-  
tum quod fecerit habeatur.

## VIII.

Nulla ecclesiastica ministeria, seu etiam benefi-  
cia, vel ecclesiæ, alicui tribuantur seu promittan-  
tur antequam vacent: ne desiderare quis mortem  
proximi videatur, in cuius locum & beneficium se  
crediderit successurum. Cum enim id etiam in ipsis  
Gentilium legibus inueniatur prohibitum, turpe ni-  
mis est & diuini plenum animaduersione iudicii, si  
locum in Dei ecclesia futuræ successionis expecta-  
tio habeat, quam etiam damnare ipsi Gentiles ho-  
mines curauerunt. Cum vero præbendas ecclesias-  
ticas, seu quælibet officia in aliqua ecclesia vacare  
contigerit, vel etiam si modo vacant, non diu ma-  
neant in suspenso, sed infra sex menses personis  
quæ digne administrare valeant conferantur. Si  
autem episcopus vbi ad eum spectauerit, conferre  
distulerit, per capitulum ordinetur. Quod si ad ca-  
pitulum electio pertinuerit, & infra prædictum  
terminum hoc non fecerit, episcopus hoc secun-  
dum Deum cum virorum religiosorum consilio  
exequatur. Aut si omnes forte neglexerint, metro-